



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

Quid Episcopus Philippus dixerit, cùm domum nostram construeret, cap.
64

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

*Multis
domona-
stiorū
exoptan-
da.*

DVM conuentus noster à Domino Philippo Archiepiscopo super mōtem Stromberg vocaretur, quidam homines prouinciales hæredibus suis timentes, illum arguerunt. Quibus ipse respondit verbum bonum, verbum sanctū: Vtinam, inquit, esset in qualibet villa diœcesis meæ conuentus iustorū, qui & Deū iugiter laudarent, & tam pro me quā pro mihi commissis orarent; puto quia tunc melior multo esset status ecclesiæ meæ, quā modò sit: nulli nocerent, cū multis prodesse; aliena non rapiunt, cū sua omnibus impertiantur.

*Ex eis
pauperes
aluntur.*

EO tempore, quo fames illa validissima, quæ anno Dominicæ incarnationis 1197. fuit, & plurimos extinxit, domus nostra, licet tunc temporis pauper fuerit ac nouella, multis subuenit, sicut dixerunt hi, qui numerum inopum ante portam considerauerunt: aliquando vna die mille quingentis eleemosynæ datæ sunt. Dominus Geuardus, tunc Abbas, singulis diebus ante messem, in quibus carnibus vti licebat, bouem vnum in tribus caldarijs, cum oleis circunquaque collectis, coqui iussit, & cum pane per singulos pauperes diuisit. Simile factum est de omnibus alijs pulmētarijs, sicque per gratiā Dei omnes pauperes superueniētes vsque ad messem sustentati sunt. Et, sicut audiui de ore iā dicti Geuardi Abbatis, cū timeret ne fortè annona pauperum ante tēpus deficeret, & pistorē pro eo, quod panes nimis magnos faceret, argueret, respōdit ille: Credite mihi domine, in pasta valde parui sunt, & in fornace crescunt, parui immittuntur, & magni extrahuntur. Retulit mihi idē pistor, frater scilicet Cōradus Rufus, qui adhuc viuit, quia non solum panes in fornace, imò etiam farina creuerit in fassis & in vasis, ita vt pistorēs omnes mirarentur, nec non & pauperes, qui inde nutriebantur. Dicebant enim: Domine Deus, vnde venit omnis annona ista? Eodē anno diues dominus, charitatē seruorum suorum etiam in hac vita per centuplum remuneravit.

*Eleemo-
syna di-
tāt lar-
gentem,
etiam in
tempora-
tibus.*